

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dialogorum sacrorum Libri Quatuor

Châteillon, Sébastien

Basileae, 1565

Gedeon trituranus

urn:nbn:de:bsz:31-102436

64 **DIALOG. SACRORVM**

Proh superi, quid uideo? Sisaram iacentem humi exanimem? quis hoc fecit? **I.** Mulieris factū uides. **B.** At non muliebri tamen. Sed quæso, tū ne hoc fecisti? **I.** Ipsa res indicat. **B.** Video: sed narra, obsecro, quo pacto egeris. **I.** Vidi fugientem, iussi ut ad me ueniret, eumq; operui centone. Deinde cum iam quiesceret, cepi clauum, quem malleo adegi in tempus eius. Ille prouolutus ad pedes meos, efflavit animam. **B.** Utinam sic pereant, quotquot aduersantur Deo.

SENTENTIA.

Turpi morte digni sunt, qui Deo aut eius populo aduersantur. Debiliū manu uincit Deus fortes.

GEDEON TRITVRANS.

Iudicium 5.

ARGVMENTVM.

Genius Gedeonem mittit ad debellandos Madianitas.

Genius, Gedeon.

A. Dsit tibi Ioua, uir fortissime. **G.** Quæso te domine, si adest nobis Ioua, cur tā dira patimur? Vbi nā sunt tot eius mira facinora, quæ nobis narrauere maiores nostri, nos ab eo esse eductos ex Aegyptijs: cum nos nunc deseruit, & addidit Madianitis? **G.** Vade cum tua ista uirtute, & defende Israhelitas à Madianitis. Ego sum tibi
autor

LIBER I.

65

autor uadendi. G. Amabo te domine qua tandem re defendam Israelitas, qui sum tenuissimus omnium Manassensium, & minimus totius paterna familiae? G. E. ^a Adiuuante me, concides Madianitas ad unum. G. Quæso te, nisi molestum est, ut signo aliquo mihi confirmes, te eum esse qui mecum loquare. Noli discedere hinc, donec redeam ad te, & expromam ^b dapem, quam faciam apud te. G. E. ^b Preestolabor tibi. G. Parauit omnia. G. E. ^c Ponam carnem & panes non fermentatos, super hoc saxo, & effunde ius. G. Hei mihi. ^c ignis consumpsit omnia. Iouæ Genius est: me miserum, qui uiderim Genium Iouæ. G. E. ^c Saluus es: pone metum, non ideo moriere.

a Adiuuante Deo uel in mi maxima præstant.

b dapalem metum, Deus libandum.

c Videlicet de celo de lapsus.

SENTENTIA.

Dei ope quiuis quiduis potest.

GEDEON. Iudicum 7.

ARGUMENTVM.

Gedeon delectu habito, dimissisq; domum imbellibus, castra Madianitarum noctu explorat: deinde cum trecetis militibus aggressus præfligat.

Ioua, Gedeon, Præco, Phara, Madianita, alter Madianita, Milites.

Gedeon, tu nimis multos habes milites. Quod si cum istis copijs uinceretis hostes, Israeli-

6 1. 14.